

pro rescissione actus. Facile autem conceditur hæc dispensatio *c. 8. de Jurejur.*

12. De remediis a jure concessis metum passo. — Quidam actus sub metu gravi positi, ut vidimus, sunt nulli ipso jure, quidam vero rescinduntur ex judicis sententia. Si sermo sit de actibus primi generis, is qui metum passus est ut liberetur ab obligationibus derivantibus ex actu a se posito, requiritur saltem quoad forum externum judicis sententia, quæ factum incussi metus declaret; idest requiritur sententia declaratoria qua metum passus dicitur immunis ab omni vinculo positi actus. Hæc vero sententia declaratoria requiritur ad vitandos abusos, qui facile locum habere possent hac in re ex parte eorum qui vellēt susceptis obligationibus sese eximere, incusantes passos timores. Hinc merito in foro externo actus validus censetur quousque contrarium non fuerit probatum. Quemadmodum ex. gr. in matrimonio verificatur.

13. Si sermo sit de actibus secundi generis sub metus influxu positus valet principium juris, quod nempe 'multa per patientiam tolerantur, quæ si fuerint in forum deducta, debent justitia exigente cassari' *c. 18. De Præb. circa fin.* Et quidem *justitia exigente*; nam justum est, eum in pristinum restitui qui ex injuria aliquod onus suscepit. Hinc rescindi possunt ad querelam partis, quæ metum passa est. Sed duplex casus fingi potest: 1^o. Si qui metum passus est velit actum vel contractum consistere; 2^o. si velit illum non valere. In primo casu actus vel contractus servandus est. In secundo casu duplex remedium datur metum passo, idest vel actio vel exceptio, quæ appellatur *Quod metus causa*. Exceptio conceditur quando is qui metum incussit instet ut contractus vel promissio servetur. Actio autem *Quod metus causa* conceditur cum metum passus aliquid fecit vel dedit, ut irritetur quod fecit et reddatur indemnus.

14. Ut vero tum in 1^a. tum in 2^a. hypothesi qui metum in sui favorem allegat, opportunum remedium experiri possit, necesse est ut metum probet. Metus enim cum procedat ex facto criminoso alterius personæ, præsumi non potest. Attamen præsertim quando agitur de metu relative gravi, non semper possunt probationes afferri luce meridiana clariores. Agitur enim de ostendenda trepidatione animi, quæ non semper sufficienter manifestatur. Igitur ubi desit factum evidens incussi metus, ex. gr. comminatio mortis vel alterius gravis et instantis mali, quæstio resolvenda

est ex conjecturis proximis et concludentibus, quæ animum judicis moveant, eique suadeant metum gravem revera incussum fuisse. Unde res maxime pendet ex prudenti arbitrio judicis, qui conjecturis et adjunctis proprium valorem et pondus tribuere debet. Porro Menochius *De Præsumption. Lib. 3. Præsumpt. 126.* plures indicat conjecturas ad metus incussi existentiam demonstrandam. Præterea si sermo sit de actibus, qui metus purgationem admittunt, is qui metum allegat, probare debet metum per ratihabitionem non fuisse purgatum, ceu in terminis docet *c. 1. h. t. circa finem.*

TITULUS XLI.

De in integrum restitutione.

1. Cum plura in judiciis intervenire possint, quæ eorundem pervertunt rigorem et justitiam, et viam aperiunt damnis et ruinis alterutrius litigantis; hinc æquitate prætoria inventum est remedium extra-ordinarium restitutionis in integrum, quo qui læsionem passus est, restituitur in eum statum in quo versabatur ante læsionem. Porro restitutio in integrum non solum conceditur contra sententias judiciales læsivas, sed etiam in negotiis extra judicium gestis. *Clem. un. h. t.* Definitur vero restitutio in integrum 'remedium extraordinarium juris quo ministerio judicis ob læsionem res in pristinam reducuntur conditionem in qua fuerant ante ipsam læsionem' *c. ult. h. t.* Dicitur vero remedium extraordinarium quia conceditur in subsidium mediorum ordinariorum, cum nempe nulla suppetat actio vel exceptio a lege tributa *L. 17. § 1. ff. De Minorib.* Conceditur insuper propter læsionem. Læsio in casu est læsio gravis, idest alicujus momenti; de minimis namque non curat prætor, ceu notatur in *L. Scio illud. ff. de restit. in integr.* Non autem debet esse enormis, idest quæ sit ultra medietatem justi valoris, nec enormissima, idest quæ binas tertias partes ejusdem veri valoris excedat. Nam utroque in casu ordinarium adest juris remedium, scilicet vel rescissionis aut debitæ compensationis juxta *L. 2. Cod. de rescind. vendit.*; vel declarationis nullitatis ob deficientiam substantialem justitiæ commutativæ, quæ verificatur in casu læsionis enormissimæ; quo in casu actus est ipso jure nullus, eo quia cum partes non præsumantur intellexisse quod agebant, consensus legitimus defecisse censetur. 2^o. Ad concedendum hoc

remedium necesse est ut actus, contractus, sententia, contra quæ conceditur, valida sint. Si enim de actu vel contractu aut de sententia invalida ageretur, præsto esset remedium extra-ordinarium, seu petitio in iudicio ut invaliditas declaretur. 3^{um} requisitum est ut gravis læsio non procedat ex mero infortunio, ex. gr. ex eo quod res quæ in contractum venit casu periit, sed procedat vel ex calliditate adversarii, vel ex culpa aut oscitantia procuratoris partis læsæ aut ex facilitate seu infirmitate consilii ejusdem partis læsæ, quemadmodum præsumitur in minoribus. 4^o. tandem loco requiritur ut actus sit rescindibilis. Hinc contra matrimonium, professionem religiosam etc. non datur restitutio in integrum quando actus validus fuerit.

2. Quibusnam competat remedium restitutionis in integrum. — Primo conceditur ætate minoribus ut patet ex *L. 1. et toto tit. ff. de Minorib. et c. 8. h. t.* Porro juxta leges romanas in cit. tit. minores erant illi, qui nondum expleverant annum 25. Conceditur autem restitutio non solum personæ ipsius minoris, sed etiam causæ; idest, potest in causa minoris, ubi læsio facta est, exposci etiam ab ejus hæredibus restitutio in integrum *c. 8. h. t.* Immo conceditur hoc remedium etiam cum curatoris consensus accesserit in contractu vel actu minoris. Quod de minoribus dicitur, etiam de pupillis dicendum est, quoad actus vel contractus celebratos cum auctoritate tutoris. Cum vero etiam Ecclesiæ minoribus in jure æquiparentur, sequitur eodem privilegio eas frui restitutionis in integrum, quemadmodum expresse traditur in *capp. 1., 3. et 8. h. t.* Sub nomine *Ecclesiarum* intelliguntur non solum Ecclesiæ propriæ dictæ et beneficia, sed etiam quælibet pia loca seu pia institutio, ex. gr. claustra religiosa, confraternitates, hospitalia auctoritate Episcopi fundata.

3. Quid vero dicendum de personis ipsis Clericorum? Privilegium hujusmodi personas Clericorum quoad sua bona vel jura non respicit; nam ideo Ecclesiis datum est, quia censentur esse sub curatoribus suis ex quorum imperitia aut oscitantia facile possunt pati læsionem. Clerici autem ipsi administrant bona proprii beneficii, et idonei præsumuntur ad sua negotia exercenda. Unde ætate majoribus comparantur. Hinc privilegium restitutionis Clericis competere potest tunc solum cum sint ætate minores, quo in casu aliis minoribus æquiparantur *c. 8. h. t.* Quoniam vero communitates et universitates sub suis administratoribus esse cen-

seantur, etiam ipsis remedium restitutionis in integrum conceditur *L. Respublica C. Quibus ex causis majores etc.*

4. Quæritur utrum remedium hujusmodi concedatur personæ privilegiatæ contra aliam personam privilegio eodem munitam; ex. gr. quid si Ecclesia ab alia Ecclesia graviter læsa fuerit? Dicendum est etiam in hac hypothesi parti læsæ competere remedium restitutionis contra lædentem; quemadmodum innuitur in *c. 3. h. t.* et probatur evidentè ex ratione generali expressa in *cc. 1. et 8. h. t.* Ratio enim est factum læsionis, quod ubi verificetur, restitutio conceditur nullo habito respectu ad personam quæ læsit.

5. Minori vero restitutio in integrum non conceditur cum firmaverit contractum juramento sponte præstito, ceu tradit Auth. *Sacramenta Puberum Cod. si adversus vendit.* Unde potest petere restitutionem si probaverit se fuisse dolo et malis artibus circumventum *c. 28. de Jurejur. et c. Licet eod. in 6.* Pariter beneficium restitutionis non conceditur minori, si, major effectus, ratum habuit quod egit in minori ætate *LL. 1. et 2. Cod. si major factus.*

6. Quid dicendum de ætate majoribus? Aliquando restitutio in integrum conceditur ex æquitate etiam majoribus, sed legitima occurrente causa *c. 4. h. t. et L. 2. cum seqq. ff. ex quibus causis majores restituantur.* Causæ autem sunt: 1^o. Si quis læsionem passus sit eo quod reipublicæ causa diu abesse coactus est *LL. 1. et 4. ff. cit. tit.* Ad hanc causam reducitur etiam absentia Legatorum municipiorum *L. 8. ff. eod. tit.* — 2^o. Si impeditus ob communem necessitatem agere non potuit. — 3^o. Si quis in vinculis, servitute, aut sub hostium potestate fuerit detentus. — 4^o. Si probetur fraudulenta circumventio adversæ partis *c. 4. h. t.* — 5^a causa est individua consociatio causæ majoris cum causa minoris, quo in casu beneficium ætate minoris prodest etiam majori.

7. Nihilominus vero aliquatenus differt restitutio in integrum quæ minoribus conceditur ab ea, quæ majoribus tribuitur. Nam præterquam quod majoribus restitutio non concedatur, nisi præter gravem læsionem interveniat justa causa, restitutio in integrum majoribus non conceditur, quando aliud etiam minus pingue remedium præsto sit, ex. gr. quando possunt experiri medium appellationis; minoribus vero tribuitur etiam quando adest minus pingue remedium ad læsionem compensandam, ex. gr. quando possunt ap-

pellare. Tutius enim et utilius esse potest causam discutere in primo gradu jurisdictionis, quam in gradu appellationis.

8. Quoadusque perdurat jus petendæ restitutionis in integrum? Restitutio in integrum non ex justitia investa est, sed ex æquitate prætoria; hinc actio ad petendam restitutionem esse non potest perpetua, idest perdurare nequit spatio 30 annorum, quo spatio jure civili perdurant omnes actiones, sed est temporanea; et ex *c. 1. h. t. in 6.* necnon ex *L. ult. C. de Temporib. in integr. restit.* est quadriennalis; id est intra quadriennium proponi potest, quod pro minoribus incipit decurrere a prima die post completam ætatem minorem, cessante alio legitimo impedimento. Hoc vero quadriennium est continuatum quatenus computantur etiam dies feriat, est autem utile quia legitime impedito non currit *c. L. ult. C. de Temporib.* etc. et Doctores communiter. Quare minores possunt petere restitutionem in integrum toto tempore minoris ætatis, et insuper per quadriennium a prima die anni 26. ætatis. Pro majoribus vero et pro Ecclesiis quadriennium utile ad petendam restitutionem in integrum incipit decurrere a tempore quo læsio facta fuit, et cessavit causa justi impedimenti *L. 7. C. de Temporib. etc. Glossa in Clem. un. h. t. v. a tempore.* Unde quadriennium non currit legitime impeditis. Ita Doctores communiter cum *Glos. in L. ult. Cod. de Præscript. v. Supervacaneum.* Quare a temporis decursu subtrahi debet spatium, quo graviter læsus justo impedimento detentus petere non potuit restitutionem in integrum. Ita Doctores juxta *L. ult. Cod. de Temporib. in integr. restit.* Ex hac regula sequitur etiam quadriennium incipere a die cognitæ læsionis, et per consequens quadriennium non decurrit ignorantibus. Ita *Engel h. t. n. 11.* et alii magnæ notæ Doctores. Verum in *c. 1. h. t. in 6.* specialis dispositio traditur pro Ecclesiis et aliis locis piis, quæ Ecclesiis comparantur. Etenim decernit Pontifex dari posse restitutionem Ecclesiæ etiam post quadriennium, quando probetur in hoc manifestum fraudis commentum intervenisse, aut aliam rationabilem adesse causam. Ecclesia ergo in genere tenetur lege quadriennii, ita ut eo expleto, extinguatur actio ad petendam restitutionem in integrum. Verum si probetur, prævaricationem seu collusionem locum habuisse in hoc negotio, vel adsit alia justa causa, conceditur remedium restitutionis etiam post elapsum quadriennium. Inter causas rationabiles ab auctoribus post *Gloss. fin. in c. 1. h. t. in 6.* adsignatur præsertim existen-

tia Prælati, qui negotium gessit in præjudicium Ecclesiæ. Hic enim verosimiliter præsumitur non fore expostulaturus restitutionem in integrum contra factum proprium. Quare docent auctores non decurrere quadriennium ad restitutionem petendam vivente adhuc Prælato vel Rectore Ecclesiæ, ex cujus facto Ecclesia læsa est. Sic etiam adsignatur uti causa rationabilis repentina mutatio Prælatorum. Qui enim ad breve tempus Ecclesiæ præest, non præsumitur statum Ecclesiæ suæ, et jura ejusdem læsa competenter cognoscere. Unde facile contingere potest, ut prælatus hic contra læsionem ab Ecclesia toleratam omittat petere restitutionem in integrum.

9. De causis in quibus locum habet restitutio in integrum. — Conceditur hoc remedium contra quamlibet sententiam et contra quemlibet actum vel contractum, nonnullis tantum exceptis, nec non contra lapsum temporis, dummodo in hisce minor vel Ecclesia gravem læsionem passi sint. Quoad primas propositionis partes res clara est, ultimum membrum indiget explicatione: quomodo nempe in lapsu temporis detur restitutio. Quod hac in re peti possit restitutio patet ex *Clem. un. h. t.* Ut vero intelligatur quid sit hæc restitutio, sciendum est, nonnullos actus, nonnullasque probationes posse proponi solummodo intra determinatum tempus, quo elapso, inutiliter proponuntur. Ex. gr. si de re judiciali agatur, datur tempus peremptorium ad testium depositiones producendas, ad interponendam appellationem a lata sententia *c. 5. de Appell.* Si minor et Ecclesia hoc tempus peremptorium præterlabi inutiliter fecerint, et gravem ob lapsum hujusmodi temporis læsionem subierint, poterunt in integrum restitui, ita scilicet ut facultatem assequantur testium depositiones afferendi, vel provocandi ad appellationis remedium non obstante lapsu termini præfiniti. Idem dicendum esset si ageretur de actibus extrajudicialibus, ex. gr. si determinatum esset tempus ad redimendam rem venditam *c. 8. h. t.* Atque ita explicantur verba *Clem. un. h. t.* 'ab Ecclesia adversus lapsum temporis, in quo se læsam asserit, in integrum restitutio peti potest'. Hinc verba hæc intelligi nequeunt de restitutione contra quadriennium inutiliter elapsam, quatenus nempe Ecclesia post quadriennium posset aliud quadriennium exposcere ad experiendum restitutionis remedium; secus enim elusoria redderetur definitio a jure facta quadriennii ad petendam restitutionem.

10. Hæc de læsione ex lapsu temporis, nunc de aliis causis. Et primo quidem relictis quæstionibus, quæ dubiæ adhuc sunt,

quærimus utrum dari possit restitutio in integrum in religiosa professione. Qua in re distinguendum est utrum restitutio exposcatur contra ipsam professionem, vel exposcatur ut possit proponi et tractari causa de nullitate professionis. Prima restitutio nunquam conceditur. Fieri enim non potest ut qui valide professus est consideretur perinde ac si nihil egerit. Secunda vero concedi potest. Quod ut intelligatur, notandum est, Concilium Tridentinum in *c. 19. sess. 25. de Regul.* statuisset ut reclamatio contra invalidam professionem ex defectu consensus vel ex alia causa posset admitti si a religioso fieret intra quinquennium ab elicitâ professione. Elapso igitur inutiliter hoc quinquennio, peti potest restitutio in integrum, ad hunc scilicet scopum, ut causa nullitatis professionis pertractetur. Praxis s. Congregationis plene huic theoriæ respondet.

11. Quid dicendum de matrimonio; estne matrimonium causa in qua detur restitutio in integrum? Restitutio dari non potest quoad vinculum conjugale validum; est enim vinculum ir retractabile. Restitutio autem dari potest quoad propositionem causæ circa nullitatem vinculi conjugalis.

12. Quæritur utrum detur minori vel Ecclesiæ restitutio in integrum contra propriam confessionem in qua læsionem subierint? Datur utique utrique hæc restitutio ex *c. 2. h. t. in 6.* et ex *L. Certum § In pupillo ff. De Confessis.* At hæc restitutio conceditur quando pateat læsionem procedere ex incauta confessione falsitatis. Nam si res veritati cohæret, restitutio denegatur. Hinc si confessio accedat probationibus plenis vel semiplenis contra minorem vel Ecclesiam restitutio non datur. In utroque enim casu confessio præsumitur facta secundum veritatem.

13. Quæritur a quo peti debeat restitutio in integrum. Respondet *c. 9. h. t.* petendam esse a iudicibus ordinariis habentibus administrationem justitiæ, seu constituentibus verum et proprie dictum tribunal. Quibus positis, si restitutio in integrum postulatur contra sententiam læsivam, petitio proponenda est vel penes tribunal iudicis qui sententiam tulit, vel penes tribunal iudicis inferioris *L. 16. circa fin. ff. de Minor. Abbas in c. 9. h. t. n. 7.* Hinc restitutio in integrum quæ peti potest contra sententiam Romani Pontificis, peti potest solummodo in tribunali ipsius Pontificis *c. 5. h. t.* A iudice vero delegato peti potest solummodo hæc restitutio vel quando quæstio de causis restitutionis concedendæ

specialiter commissâ est delegato, vel quando incidat in causâ principaliter commissâ delegato. Arbitri vero de restitutione in integrum videre nequeunt nisi quæstio de ea coram ipsis fuerit mota incidenter in causâ principali *c. 9. h. t.*

14. Si autem restitutio in integrum postuletur contra aliquem actum, vel contractum, vel lapsum temporis, petitio ordinariè faciendâ est coram iudice illius contra quem restitutio postulatur. Ita ex *L. 2. C. Ubi et apud quem cognit.* et ex Doctoribus inter quos Abbas in *c. 1. h. t. n. 18.* Et ratio est: quia qui petit restitutionem gerit personam actoris, alter autem gerit personam rei. Dixi *ordinariè*; nam Ecclesia in sensu *c. 1. h. t.* et *penult. de reb. Eccles. alien.* potest etiam contra laicum petere restitutionem coram iudice ecclesiastico. Et ratio est: quia in casu Ecclesia agit ex privilegio speciali, et iudex ecclesiasticus merito de privilegiis ecclesiasticis iudicat. Porro restitutio in integrum contra lapsum quinquennii concessi regularibus ad reclamandum contra propriam professionem *sess. 25. c. 19. in Tridentino*, unice a S. Sede petenda est. Ita tenuit S. Congr. Conc. in Mechlinien. 22. Maji 1687, et praxis consonat. Ita etiam quando petenda est restitutio contra duplicem sententiam conformem pro valore matrimonii. Casus contigit in Herbipolensi *Nullitatis Matrimonii*, in qua hujusmodi restitutio concessa fuit die 17. Decemb. 1857. Et in genere a S. Sede restitutio postulanda est, quando obstat aliqua regula juris communis, circa quam dispensari debeat. Forma procedendi in causâ ordinaria restitutionis in integrum est ut citeatur pars adversa, et normæ judiciales observentur *LL. 1. et ult. ff. h. t.*

15. De effectibus restitutionis in integrum. — Ut ipsa inscriptio tituli satis exprimit, eo dirigitur hoc remedium juris, ut res reducantur in eam conditionem in qua versabantur antequam poneretur actus, vel iniretur contractus, vel sententia ederetur ex quibus læsio orta est. Hinc effectus restitutionis contra sententiam est ut suspendatur ejus executio, et iterum proponatur causa. Effectus restitutionis in casu pro minoribus comparari potest appellationi pro ætate majoribus. Hinc si causa in qua obtenta est restitutio in integrum est arduæ inquisitionis, restitutio utique gignit novam causæ propositionem, sed non impedit precariam sententiæ executionem; nisi executio hæc res in eo statu poneret ut inde frustraretur vel difficile admodum redderetur remedium resti-

tutionis ex gr. si probabile dubium esset ne bona dissiparentur. Hæc omnia vel expresse exhibentur vel inductive inferuntur ex capite 6. h. t.

Quod si agatur de restitutione circa aliquem contractum, res reducitur in eam conditionem in qua erat antequam conficeretur contractus. Hinc utraque pars contrahens alteri debet restituere quidquid sibi obvenit ex contractu *L. un. C. de Reputation. et reficere expensas necessarias et utiles bona fide in re factas c. 1. h. t. circa fin.*

16. Quæritur an reddito fundo per remedium restitutionis, etiam fructus restitui debeant fundi. Variæ adsunt sententiæ Doctorum. Profecto si sermo sit de contractu lucrativo pro una parte et oneroso pro alia, ex gr. si donatum fuerit prædium, si utilis hæreditas fuerit repudiata etc., hoc in casu, cum qui restituere debet nullum gravamen passus est, nihilque ex parte sua dedit, æquum est ut alteri parti læsæ omnia restituat, etiam fructus fundi, deductis vero expensis necessariis et utilibus. Læsio enim locum habuit non solum in re, sed etiam in fructibus. Cfr. *Lessius De Just. et Jur. Lib. 2. c. 7. n. 70.* Si vero sermo sit de contractu bilaterali et utrimque oneroso, hæc videtur adoptanda distinctio: utrum læsio locum habuit quia minoris vel Ecclesiæ intererat possidere hunc fundum, vel quia justum pretium solutum non est. Prima in hypothesi fructus non restituuntur; quia læsio proprie in fructibus non contigit, sed in possessione fundi, in quo reintegratur minor vel Ecclesia: *Lessius loc. cit.* Secunda in specie debent restitui fructus, saltem pro rata diminuti pretii. Qui etiam fructus si fuerint bona fide percepti, subintrat theoria de bonæ fidei possessore, qui facit fructus suos, nec non regula triennalis præscriptionis.

TITULUS XLII.

De alienatione iudicii mutandi causa.

1. Sequitur tractatio de alio remedio juris, quod conceditur illis, in quorum præjudicium res quædam alienatur sub timore litis futuræ. Fit vero alienatio de qua in titulo, cum ex metu litis impendentis, dolo malo res transfertur in alium potentiorum, vel in personam alterius fori, ut adversario lis durior et difficilior reddatur. Ex quo conceptu patet non agi in titulo proprie de re liti-

giosa, quæ ex alia dispositione juris alienari non potest, et alienatio si fiat nulla est *L. 2. et seqq. C. de Litigiosis*; sed de re quæ fieri potest litigiosa. Patet insuper alienationem fieri debere 1º. dolo malo, 2º. ad creandas difficultates adversario mutando nempe iudicii futuri conditionem. Hinc dicitur alienatio facta causa mutandi iudicium; 3º. aliquid derivare debet adversario præjudicium.

2. Quæ si verificentur, datur 1º. actio personalis contra alienantem, quæ dicitur *ad interesse*, idest ut læsus ab alienante consequatur quantum sua intererat rem non fuisse alienatam. Hæc autem actio durat per annum, idest intra annum ab alienatione facta potest institui *L. 3. ff. h. t.* Hæc vero quantitas arbitrio iudicis determinatur *LL. 1. et 3. ff. h. t.* — 2º. Læsus habet actionem realem, qua potest persequi rem alienatam penes acquirentem *L. un. C. h. t.*

3. Hoc duplex remedium statutum est proprie contra reum alienantem rem, de qua timet futurum iudicium. Sed quæritur an etiam contra actorem concedatur hoc remedium? Id contingere posset si quis habens aliquam actionem exercendam contra alium, ex dolo actionem cederet tertio, qui esset potentior, vel privilegio auctus, ut reus magis vexaretur. Respondent Doctores pro affirmativa sententia innixi generali enunciatione tituli. Remedium vero in casu contra alienantem adhibet reus non per actionem, quia reus non agit, sed ope exceptionis, quando in jus a cessionario vocatur. Qua exceptione si reus probet alienationem actionum factam fuisse causa mutandi iudicium, repellit actoris instantiam.

4. Duplex adest caput in titulo, et in utroque peculiaris juris canonici hac in re dispositio adhibetur. In cap. 1. hæc species est. Quidam impetraverunt a R. Pontifice rescriptum iustitiæ in quo designabantur iudices pro quadam causa determinata videnda. Adversarii ad eludendum mandatum Pontificis, antequam litteræ apostolicæ pervenissent, vel delatæ essent citationes, appellarunt, vel res, de quibus iudices delegati decernere debebant, alienarunt. Rom. Pontifex respondet, iudices delegatos posse quæstionem videre et decernere, et jurisdictionem exercere posse etiam contra actuale possessorem rei alienatæ. Ex quo capite hoc deducitur principium: Licet iudicis delegati jurisdictio non extendatur ultra personas in commissione designatas, tamen in casu alienationis iudicii

mutandi causa factæ, ejus jurisdictio comprehendit etiam personam quæ rem acquisivit. — Secundum caput sub comminatione censurarum reprobatur abusus clericorum, qui quæstionibus emergentibus inter laicos, acquirunt actiones alicujus, atque ita privilegiis suis adversario incommoda creant.

TITULUS XLIII.

D e A r b i t r i s .

1. Inter personas quæ de causis decernunt, ac quæstiones dirimunt, Arbitri numerantur. Arbitrator lato sensu, seu generatim loquendo idem est ac vir bonus et prudens qui ad aliquod negotium et æstimandum et terminandum eligitur. Hoc in sensu qui amicabile compositione negotium terminat, dici potest arbitrator. Arbitrator vero stricto sensu sumptus definitur 'Persona idonea, sive ex legis dispositione, sive ex conventionione partium electa, ut circa exortam controversiam suum iudicium proferat, cui partes stare debent'. Arbitrator qui ex legis præscripto constituitur, dicitur Arbitrator juris; qui ex partium conventionione eligitur, dicitur compromissarius. Arbitrator insuper assumit partes iudicis, et procedere debet ordine juris servato, et ejus sententiæ standum est, sive justa sit, sive iniqua. Porro sententia Arbitri dicitur *Arbitrium* vel *laudum*. Codices legum solent determinare normas, quibus compromissum debet fieri et quibus adherere debet Arbitrator ut ejus iudicium obtineat effectum legalem.

2. Præter Arbitrum datur *Arbitrator*. Arbitrator est persona idonea quæ de negotio, ex. gr. de contractu societatis, de transactione etc. extrajudicialiter videt et componit de bono et æquo. Ex quo conceptu jam patet differre Arbitrum ab Arbitratore. Præterea Arbitratoris sententia, quæ *Arbitramentum* dicitur ob gravem læsionem corrigitur ad arbitrium boni viri. *L. Societatem § Arbitrorum ff. Pro Socio.*

3. Diximus Arbitros dividi inter Arbitros juris et arbitros compromissarios. Arbitrator juris, qui dicitur etiam arbitrator necessitatis, ex præscripto legis constituitur. Constituitur vero vel a iudice vel a partibus, prout diversa est dispositio juris. Varia dantur in jure exempla. In *c. 39. de Off. Deleg. et 11. eod. in 6.* jubetur eligi arbitrator ad decernendum de causa suspicionis ob quam

iudex recusatur. Pariter ex *c. 14. de Rescript.* cum plures iudices dissident super revocatione literarum apostolicarum, a partibus arbitri eligendi sunt. Ex can. *Si Clericus c. 11. q. 1.* quæstio exorta inter Episcopum et Clericum sibi subjectum iudicio arbitratorum ex conventionione partium eligendorum terminanda est etc.

4. Porro arbitri hujusmodi in variis differunt ab arbitris compromissariis. Nam arbitri juris habent a lege proprie dictam jurisdictionem in similitudinem iudicis, et quandam coërcitionem; arbitri vero compromissarii habent potius notionem quæstionis. Hinc non possunt testes compellere ad comparendum. 2º. A sententia arbitratorum juris datur proprie dicta appellatio ad iudicem superiorem; non potest autem appellari a sententia compromissariorum *L. 1. C. h. t.* — 3º. Arbitri juris possunt compelli ad suscipiendum onus videndi causam virtute etiam obedientiæ *c. 61. de Appell.* non vero Arbitri compromissarii.

5. Quæritur 1º. Quinam possunt in Arbitros compromittere? Resp. Illi solummodo, qui habent liberam rerum suarum administrationem, et per consequens possunt transigere et alienare res suas. Deducitur hoc principium ex *c. 5. h. t.* ubi R. Pontifex reprobatur arbitri laudum quoad aliqua capitula de quibus Abbas Monasterii compromittens disponere non poterat.

6. Quæritur 2º. quinam in arbitros assumi possint. Resp. Dummodo persona sit idonea ad negotium æstimandum et ad causam cognoscendam potest eligi ad officium arbitri, nisi expresse a lege vel a canone prohibeatur. Prohibentur vero a jure pupilli et minores 20 an. *L. 46. ff. h. t.* Ex jure canonico autem prohibentur 1º. Excommunicati non tolerati *c. 39. de sent. Excomm.* — 2º. Ex *c. 4. h. t.* cui consonat *L. ult. C. h. t.* feminæ eligi nequeunt ad officium arbitratorum. At exceptio fit quoad mulieres præcellentes seu illustres quæ jurisdictione civili gaudent vel ex jure communi vel ex consuetudine; *cit. c. 4. h. t.* ubi Innocent. III. decernit, valere arbitrium emissum a Regina Francorum in causa inter Monachos Cistercienses et Hospitalarios super usu alicujus silvæ, eo quia ex consuetudine Regina jurisdictionem habebat in subditos suos. — 3º. Religiosus arbitrator eligi nequit, nisi exposcente utilitate Monasterii, et accedente consensu superioris; *can. Monachi c. 16. q. 1. Concordat c. 39. de sent. Excomm.* in quo dicitur Monachos vacare debere observantiæ proprii instituti.